

visibilem & invisibilem. Nostra Ecclesia latuit in papatu Antichristi
 tyrannide oppressa & tenebris obscurata densissimis, adeoque invi-
 sibilis; Non aliter atque Israelitica Ecclesia post defectionem *Jeroboam*
mi, præcipuè temporibus *Achabi* fuit in Apostatica & falsa Ecclesia,
 quæ vitulos in *Dan* & *Bethel* colebat. Sic nostra Ecclesia in papatu
 fuit, sed in deserto Ap. XII. 14. *Abstrusit se in speluncas & cavernas*
terre, ut loquitur *Athanasius* (2) *disting. inter ministerium purum &*
depravatum, incorruptum atque corruptum. Ecclesiæ Romanæ mi-
 nisterium est corruptum, non verò in omnibus, quia prima gratiæ
 porta, baptismus scilicet, quoad substantialia mansit integer, nec
 verbum dei, per quod Spiritus S. in cordibus piorum fuit efficax,
 prorsus fuit amissum, à Pontificiis enim Biblia sacra, pericopas Evan-
 gelicas, orationem dominicam, preces & hymnos accepimus (3) *disting.*
inter defectionem totalem & partialem. Non de priori, sed de po-
 steriори nobis sermo est. Deus in medio papatu habuit suos, ut in-
 fantes baptizatos, Christianos simplices, qui simplici fide Christi
 merito adhæserunt, & pios Confessores, qui ore & corde se membra
 ejus professi fuerunt. Conf. D. Kromayerus *Theol. Posit. Polem. p. 1054.*
 B. Carpzov. *Isagg. in lib. Symbol. p. 306.* B. Dieter. *P. III. Anal. Evang.*
p. 428 h. B. Danhaw. *Lact. Catech. P. VI. p. 381.* & *Hodesoph. S. p. 113.*
fin. seq. B. Jac. Martini *Disput. inaug. de Ecclesia P. I. §. 49.* B. Meisne-
 rus in *Tract. German. de quest. ubi Ecclesia ante Lutherum fuerit*
 Magnif. D. Olearius in *Manuali p. 1685.* D. Wellerus in *Rom.*
p. 618.

Q U Æ S T I O VII.

An Ecclesia errare possit?

Pontificii pro negativa sua ex h. l. Matth. XVI. 18. *Porte infero-*
rum non prævalebunt &c. argumentum *ἀπογωγιάζον* i. e. velut an-
 guli caput, in prima ponunt acie. Confer. Bellarm. lib. 3. de Ecclesia
 c. 13. Verum *Resp.* quoad *subjectum* (1) distinguendo *inter Ecclesiam*
particularem & universalem. Si Pontificii quæstionem de universa-
 li Ecclesia intellectam vellent, non adeò repugnaremus, (2) *disting.*
inter Ecclesiam ratione sui, vel conditionis membrorum suorum, quate-
 nus est cœtus hominum infirmitati subjectorum, quo pacto errare
 posse Ecclesiam universalem non facile quisquam negaverit, qui tum
 humanam infirmitatem Psal. CXVI. 11. Rom. III. 4. tum scientiæ in
 hâc